Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Ad lit. 75.

Eodem tempore (quo Commodus divinos sibi honores deferri mandavit) morabantur in vico, qui appellabatur Lanarius, Christiani nominis cultores, inter quos erant viri religiosi Eusebius, Vincentius, Peregrinus et Pontianus; qui facultatem suam pauperibus erogaverant, et Domino servire contulerant. Hi cum audissent, quod Commodus fecisset, deridebant, et per omnem civitatem prædicabant populo, dicentes: Date honorem Domino Jesu Christo, et recedite a fallacia diabolica, et credite in Deum cæli, Patrem omnipotentem, et Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum; et agite pœnitentiam, et baptizamini in nomine ejus, ut deleantur vestra peccata, ne simul peccatis cum Commodo Domino Vestro.

Audiens quidam Senator, nomine Julius, hæc publice prædicantes, vocavit eos in domum suam, et instanter audiens prædicationem eorum, credidit; et cœpit facultates suas pauperibus per manus eorum distribuere: et dum omnia erogasset, rogavit ad se quendam presbyterum nomine Eustinum, et petiit se baptizari; et percepto baptismo cum omni domo sua, cœpit et ipse publice prædicare nomen Domini. Hæc cum nuntiatum fuisset Commodo, iratus jussit eum teneri. Qui cum ei fuisset præsentatus, dixit ad eum: Juli, quo modo amens factus es, ut deseras deum Jovem et Herculem, et quæras amentiam inanem? Cui respondit viriliter: Simul cum eis pereas (l. peribis) qui simul ore mentiris. Tunc tradidit eum cuidam Vitellio ex magistro peditum. Qui illum fecit in custodia coarctari: et post triduum jussit sibi tribunal parari in Tellure (alias Tellude), et sanctum Julium ante se exhiberi nudum, cæteris nunitum. Et conversus ad eum Vitellius dixit: Cognosceis præcepta principum, qui jusserunt, ut deponas pertinaciam tuam, et adores, et sacrifices deo Herculi et Jovi? Respondit Julius libere, et dixit: Ettu et princeps tuus simul peccatis (l. peribitis). Vitellius vicarius dixit: In quem tam præsumis, quia jam damnatus es? Respondit Julius: In Domino nostro Jesu Christo, qui te damnat et principes tuos in interitum æternum. Hæc audiens Vitellius jussit fustibus cædi: quidum cæderetur, emisit spiritum. Cujus corpus præcepit ante amphitheatrum jactari. Noctu vero collegerunt corpus ejus Eusebius, Pontianus, Peregrinus et Vincentius, et sepelierunt in cœmeterio Calepodii, subdie quarta decima Calendas Septembris.

Audiens Vitellius, quia collegissent corpus beati Julii; præcepit, ut tenerentur, et adducerentur ante conspectum suum. Et dum præsentati fuissent, dixit ad eos: Vos diripuistis facultates Julii, cum et corpus ejus vos constet collegisse. Respondit Eusebius: Nos fecimus, et quia meruimus (at Ms Bodicense loco hujus responsionis habet: Corpus ejus sepelivimus: at facultates, ipso adhuc vivente, pauperibus erogavimus). Vitellius dixit: Date facultates Julii, et sacrificate dis. Respondit Vincentius et dixit: Non sunt dii, sed dæmones, qui vobiscum torqueri habent in æternum. Eadem vero hora jussit in equuleo facie ad faciem levari et extendi nervis et cædi fustibus dicens: Deos et principes nolite blasphemare. Et jussit cessare tormenta, et dicit Vitellius: Parcite vobis ipsis, et sacrificate dis. Respondit Eusebius: Aufer, fac, quod facis, et noli cessare; quia si nos peras a fraternitate domini nostri Julii separari, perdis hominas tuas. Vitellius dixit: Isti confidunt de magia, ut in tormentis gaudeant. Respondit Vincentius: Nos et gaudemus, et exsultamus in Domino nostro Jesu Christo. At ille iracundia plenus jussit, ut flamma ad latera eorum applicarentur. Illi autem voce clara dixerunt: Gloria tibi Domi-